DE
SCIRRHO ET CARCINOMATE UTERI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE IV. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CASIMIRUS COBLENZ

BORUSSO-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

A. ZARTMANN, MED. ET CHIR. DR.
J. DÜNTZER, MED. ET CHIR. CAND.
A. SCHRUFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM UNGER.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

ANTONIO COBLENZ

HOC

QUALECUNQUE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

„Medicina est semper discens, at nunquam ad veritatem perveniens."

SENECA.

„Vesicae vicina infantium mater, gravis calamitas, sexcentarum aerumnarum mulieri autor uterus delitescit."

Hipp. opp. omn. edd. Foes. Sect. VIII. p. 23. in epp. Democrit. ad Hipp. de nat. hum.

§. 1.

Hydrope et quartana, medicorum ex prisco proverbio scandalis, longe diriores cruces phthisis et uteri scirrhi cancrique efficiunt, qui simul ac firmo pede C. H. obtinent, indomabili severitate omnem artis conatum vel levissimam spei speciem eludunt; quid, quod atroces hi morbi e die in diem ferociorem pestem inferunt generi humano, quum spretis omnibus artis praesidiis eo longius latiusque disseminentur crescente in dies frequentia, quo majori eaque communi solertia versatissimi in arte viri omnibus nervis contendunt, ut eorum naturam studiosa indagatione perspectam, et exinde certum ad medelam vel modo lenimen experientiae usu repertum habeant remedium. Nec est, quod quis hoc aemulum studium, quale recentissimo aevo contigit, inani speculationi vel irritis hypothesibus dixerit superstructum, sed potius quod ad phthisin saltem attinet, haud possumus, quin nostris temporibus medicina disquisitionibus anatomicis magni Laennec, Bayle, Louis aliorumque, qui eadem vestigia feliciter presserunt, condecorata gloriemur — ultro tamen serpit phthisicorum strages uberrima. Quae quidem ex uteri, tot calamitatum sedis seconditae, scirrho et carcinomate haud minor est pro rata sexus sequioris parte, nec aliter nunc differt ab illa nisi densis tenebris, quae frequentem luctum funestum obruunt nec nisi diagnoseos funere inevitabili ultra quod optaveris, certioris solatium concedunt. Sunt quidem quoque huic pathologiae sectioni nomina gloriosa, inter quae Scarpam, Wenzelium et Waltherum protulisse sufficiat, quid vero certi eorum aliorumque omni labore profecimus, praeter desperantem conscientiam, qua vix largioris solatii nedum salutis opem ferre nos posse miserabundis persuasum nobis jamdudum habemus? Quae quum ita se habeant, praecavendi et protrahendi quantum in nobis est, consilium summum est et unicum, quo atrocem humani generis hostem aggredi docemur. Quem vero futurum ne cum mitiori, vel hunc cum illo nimia anxietate confundamus, curatiore contemplatione inscitiae tam funestae caveamus. Neque parum quidem, quo penitiorem illam attingamus arridet consilium: uteri metamorphoses morbosas in una serie eaque ad ipsius naturae quasi filum concinna collocandi, qua singularum nexum singulaeque cujusvis naturam eo subtilius perspectos colligamus. Ast obsunt, quo minus pio huic desiderio fructuoso satisfiat, prohibentes arcti nostrae hactenus cognitionis limites, quos una quidem verae experientiae et anatomicae disquisitionis aequa via, perceptis, ulterius altiusque ferendos, nemo est, qui a juvenili tironis ingenio velit merito rogare. Quis enim est, quem fugant adhuc justae summorum scriptorum querelae de obscura, ne dicam confusa expositione, de ambigua denominatione, qua diversis his uteri morbis alia ab aliis auctoribus

nomina inscribuntur? Ne a simplicioribus prorsus discedamus, equidem lubenter fateor, mihi saltem huc usque vix contigisse differentias inter simplicem intumescentiam, physconiam vel obstructionem uteri, indurationem insontem, eamque perniciosam scirrhi genetricem statuendas clara ea intelligentia compertas, qua tanquam per scalam naturae genuino tenori accomodatam e simpliciori ad minus simplicem formationem morbosam ejusdem organi liceat ascendere, cujus ne sanam quidem longaevis gravissimorum anatomiae et physiologiae scriptorum controversiis penitus eliminatam novimus, ne quid dicam de gravioribus praeter scirrhos pseudoplasmatibus e. g. de sarcomate, steatomate, osteosteatomate, fungo. Proinde ratius apparet gradum juvenilem sistere in scirrhi carcinomatisque uterini adumbratione, quorum quidem observandorum praesertim in majoribus urbibus adeo larga data est copia, ut vel per brevius clinicarum inprimis obstetriciarum scholarum spatium cuivis fere tironi frequens occasio largiatur, qua, etsi tenuem, quandam tamen experientiam de hac re ardua sibi comparet.

§. 2.

De scirrho et carcinomate in genere fusius agendi, hic locus non est: quum de uterina tantum hac labe disserere nobis sit in proposito. Ast non possumus, quin quaedam de notione scirrhi nomini nobis suggerenda praemittamus. Inter omnes enim fere, quorum perspicua notione varias res distinxisse interest, antiquitus jam constat, quam plurimam rem nobis esse cum incertis ac suspensis rerum nominibus certa firmaque notione neutiquam suffultis, quorum ancipitum confusio arti nostrae tot jam damni tulit. Neque non ipsum scirrhum fluctuans idem nominum usus supra jam reprehensus attigit. Veteres enim anatomicarum disquisitionum expertes haud omnibus numeris absolutam ejus constituisse notionem, quid mirum? Recentiores vero istarum fructu gaudentes nondum de uno stricto termini technici usu convenisse, vix est, quod quis non reprehendat.

§. 3.

Scirrhus (Scirrhoma, minus apte scirrhosis, a σκιῤῥος durus) denominationem sistit jam perantiquam, qua primum, ac fere uno in hoc loco usus. Hippocrates [1]) de utero, quem σκιῤῥοθηναι dicens, ea profert: „Si uteri scirrho affecti fuerint, tum menses occultantur, tum illorum os connivet, neque concipit, et vel quid aliud est. Quodsi contigerit, velut saxum illic esse videtur." Tum in alio loco cancrum ex scirrho uteri metuendum esse scribit [2]): „Quum mulieri uteri duri evadant, et ad pudenda promineant, et inguina indurentur, et ardor in pudendis insit, concrescere incipit."

Galenus jam propriam scirrhi definitionem praebet, quem generaliter dicit: tumorem durum et absque dolore [3]), alio in loco exquisitum discernens a non exquisito [4]): „Exquisitus igitur scirrhus tumor est praeter naturam sensu carens et durus. Non exquisitus autem non omnino quidem sine sensu est, sed aegre tamen admodum sentit. Qui igitur sine sensu, incurabilis est; qui vero hebetis sensus est, non quidem insanabilis est, tamen difficilis curatu." Quem vero sensum non eundem sibi esse ac dolorem, alio loco demonstrat Galenus [5]) „Scirrhum nominamus tumorem, qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu; talis enim sanabilis non est."

---

[1]) De mul. morb. lib. II, cap. 38. opp. edd. Chart. Tom. VII. p. 160. Cf. v. Swieten comment. in Boerh. aph. T. I, §. 484.

[2]) De nat. mul. cap. 28. Tom. VII, p. 692 et de morb. mul. lib. II. cap. 41, ibid. p. 823.

[3]) Comment. in aph. 34. Sect. IV. Chart. Tom. IX. p. 155 et Comment. 1. in text. 2. Lib. VI. Epid. Hipp. ibid. p. 378.

[4]) Meth. med. ad Glauc. Lib. II, cap. 6. Chart. Tom. X. p. 378.

[5]) Meth. med. Lib. XIV, cap. 6. p. 324.

Aretaeus [1]) scirrhum dicit, in quem mutatur temporis progressu tumor durus, inflammationem secutus, cui suppuratio non contigit.

Paulus Aegineta [2]), uteri morbos egregie exponens, primus jam fere ejus indurationem benignam a genuino scirrho stricte distinguens, ab inflammatione improspera derivandum eum haud negat: [3]) „Scirrhescit uterus, aliquando repente, sine causa evidenti: plerumque vero a phlegmone praegressa, quae nec soluta, nec in abscessum conversa fuit." Ulterius prosequi priorum scriptorum seriem vix nostrum est; sufficit jam, unde eluceat, peculiarem, et, ut ita dicamus, specificam scirrhi naturam fere non nisi hoc nostro demum saeculo expresse fuisse distinctam. Ipse enim magnus Boerhave, et praeceptoris vestigia secutus v. Swieten eum nominant „finem (quartum) abeuntis inflammationis", qua factum sit, ut pars inflammata glandulosa materie impacta inertiore, crassiore, emunctoriis glandularum obstructis, folliculis vero lateribusque distentis, in tumorem crescat, eumque durum, indolentem; cui scirrhi nomen sit vindicandum. Verum enim vero idem v. Swieten in unam fere glandularem (et quidem glandularum conglomeratarum) fabricam scirrhi sedem restringens: „quum enim negari non possit, inquit, etiam in aliis corporis locis, ac in glandulis tumores praeternaturales, duros, indolentes reperiri, quibus ergo ex generali (Galeni nempe) definitione scirrhi nomen competat, forte tamen melius esse hos tumores scirrhoëides vocandos, distinctionis causa, quum alium saepe exitum habeant haec mala, neque facile in cancrum degenerent." [4]) Eaedem fere sententiam tulisse videntur ii scriptores, qui cum Callissen indurationem in organis glandulosis ortam nominant scirrhum, iis in partibus vero, quibus non sunt glandulae, indurationis nomen conservant. [5]) Contra solus tunc jam temporis Richter [6]) scirrhum tantummodo organi afflicti fabrica ab induratione dignoscendum, vel eum unquam a praevia inflammatione derivandum penitus ac merito negat. Galli jamdudum quidem differentiam statuunt inter utrumque structurae vitium, ast distinctione neutiquam satis accurata, quum de mutuo invicem commmercio et complicatione saepius obvia, imo de causali utriusque nexu apud illos sermo feratur. [7]) Inter Anglos vero clari nominis chirurgus ultro scirrhum vocat „tumorem indolentem in corporis parte glandulosa, singulatim ortum, nec idoneum verae suppurationi" [8]) omissa igitur plane peculiari ejus in carcinoma proclivitate, qua procul dubio scirrhi essentialis et periculosa natura continetur.

§. 4.

Sollertissimis denique recentissimo aevo institutis disquisitionibus anatomicis discrimen naviter stabilitum contigit inter scirrhum tanquam degenerationem plane alienam et pseudoproductionem specificam (sit venia verbo hybrido) qua praeter naturam ac latente quasi veneno in telam normalem intrusum germen futuri cancri fovetur, et contra insontem indurationem, quae merum inflammationis exitum haud plane secundum constituit, ac vitae periculum sponte neutiquam movet, sed potius ad inertem motum actionemque materiae organicae crassioris, stagnantis, (segnibus emunctoriis) est referenda, cujus supra, ex prioris temporis de scirrho commentitia opinione, facta est mentio. Potissimum

---

[1]) De caus. et sign. morb. diuturn. Lib. I. pag. 13. pag. 42.
[2]) J. F. C. Hecker, Gesch. d. Heilkunde. 2ter Bd. p. 201.
[3]) Lib. III, c. 68. p. 54.
[4]) l. c. p. 844.
[5]) System d. neueren Wundarzneik. a. d. Lat. Kopenhag. 1791. 2ter Th. §. 172.
[6]) Anfangsgründe d. Wundarzneik. 1ter Bd. §. 38.
[7]) Dict. des scienc. med. L. II. p. 379.
[8]) Benj. Bell, Lehrbegriff d. Wundarzneik. aus d. Engl. 7ter Th. Leipz. 1810. p. 638.

Cl. Wenzel isque fere solus ex recentioribus reprehendit summopere scirrhi denominationem, quam amovendam censet, neque solum ejus naturam propriam confutare studet, sed etiam ullum discrimen inter scirrhum et meram aliam quamlibet duritiem (indurationem) negat, quam potius cujusvis adventitiae inflammationis ope in cancrum apertum transire posse contendit [1]). Merito autem refutavit hanc opinionem egregius a Walther [2]) bene conveniens cum Wardrop [3]) et Scarpa [4]), qui praestantissimo suo more huic quoque rei lumen attulit cultro anatomico. Factae enim demum indurationis naturam insigniunt homogenea structura, anomala formatio subsistens, atque ut ita dicamus, pacis quies, inertiae torpor, spontaneum tumultum, nisi insuper temere acciderit nova irritatio, negaturae.

§. 5.

Longe aliter res se habet cum scirrho genuino. Neutiquam est nihil aliud, nisi tela naturalis impraegnata justo uberius materia homogenea organica, quam inflammationis comes et pedissequus luxurians nisus formativus ibi deposuerat, nunc vero ipse recedens et conquiescens, sed potius tela plane notha, hibrida, inimica atque ex omni parte heterogenea, quae naturalem organi afflicti dirimens ejus locum obsidet, fabricam corrumpit, ruinam struit. Scirrhus enim nimirum tanquam advena penitus inimicus parasitico more insidias struit, hospitium quod intercessit vita consumenda ulturus, nec paciscitur, nisi summa pace servata, nec parcit, nisi humorum vitalium pretio. Quo enim placidior vitae dispositio, eo longior scirrhosae perniciei mora: quo adaptatior curatio antiphlogistica, eo tutius lenimen; nec unquam nihil agendi prudentia paris est commodi, nec pluris habendum, quod nimis agendo damnum minatur. [1]) Ac revera bigenera sua structura singulari plane heterogeneam ac hostilem indolem palam edit, e duabus nimirum sat diversis invicem substantiis constans, altera dura, fibrosa, altera molliore, paulo gelatinosa speciei fere anorganicae, coloris plerumque e fusco candescentis, nonnunquam coerulescentis, viridescentis, albescentis vel rubescentis, durescenti albumini haud absimilem speciem referente, quam illa fibrosa, radiatim striis albis ac duris stratisque a centro ad tumoris superficiem usque discedentibus decurrens, in cavernis cellisque continet, quas non certo quodam ordine hiat septis variis dispersas ipsa duritiei aemula, quam vel maceratio non destruit sed quantacunque peculiarem cartilaginis emollitae firmitatem relinquit, [5]) quum induratio, quam Scarpae s. d. tumori strumoso analogam ni forsan eandem censere licet, eodem teste istius ope bene dissolvitur.

Scirrhosum tale pseudoplasma, granulorum forma (tuberculorum more) vix unquam sibi inducta, organi afflicti telam infiltrando penetrat, cujus obsessae naturalem fabricam pedetentim alienat ac destruit. Fit enim plerumque ut vascula praecipue arteriosa et lymphatica, horumque praeprimis conglobationes, quae glandulas lymphaticas constituunt compressa quasi, irrita reddantur, peremta demoveantur, ac denique fere penitus auferantur et revera evanescant, superstitibus modo conspicuis venis, praesertim majoribus, quae vel haud raro distracta, ampliata ipsos varices exhibent. [6]) Qua cuncta telae conditione saepissime uterus scirrhosus versatur, jamque alterum sat grave discriminis momentum inter scirrhum

---

[1]) Ueber d. Induration u. d. Geschwüre in indurirten Theilen. Mainz, 1815. p. 48.

[2]) Ueber Verhärtung, Scirrhus, harten und weichen Krebs u. s. w. in v. Graefe's und v. Walther's Journal, Bd. V. 2. Heft (1823).

[3]) Beobachtungen über d. Fungus haematodes od. d. weichen Krebs u. s. w. nebst einer vergleichenden Ansicht des Baues des Fung. haem. und des Krebses. Aus d. Engl. von Kühn. Lpz. 1817. p. 181.

[4]) „Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius est" Hipp. aph. VI, 38.

[5]) Chelius, Chirurgie 3te Abtheilung, 2ter Bd. p. 577.

[6]) Siebold, über den Gebärmutterkrebs. p. 79.

meramque indurationem et hypertrophiam constituitur. Notissimum enim est, obstructionis, quam vocare solent, designationem malam ineptamque jam eo praeberi, quod sub ista pariter atque sub benigna induratione vasorum commeatus neutiquam plane prohibetur, quum ibi potius institutis in cadavere injectionis experimentis hydrargyrum vivum per vasa propellere bene contingit, id quod in genuino scirrho nusquam evenit, nisi ad summum per truncos principales arteriosos. Alterum inde sat grave discrimen pondere specifico scirrhosae molis insigni editur, quod benignae indurationis tumor vix aequat. Illius tela jam descripta tandem in organo afflicto telae naturalis pedetentim eversae locum occupat, massam exhibens albidam, ex albo subcoeruleam vel cineream, vel e griseo flavescentem, consistentiae majis minusve densae firmaeque, modo substantiae uterinae legitimae, quam scirrhus in genere simulat, modo mollioris cartilagineae, modo ejusdem durioris lardive frigidi instar, vel duritiem referentis vix compressibilem, fibro-cartilagineam chondrosyndesmorum, immo ad eburneam, vix cultro cedentem. Quo enim caedente haud raro stridet, segmentaque tenuiora subdiaphana apparent, quae elatere suo gaudent. Sub talis morbosae metamorphoseos (quae latius latiusque per circumdantia serpendo quoquo versus crescens scirrhi signum tradit, quum induratio fines naturales vix excedit) primordiis scirrhosa infiltratio formam organi alienat, ambitumque (Volumen) parum adauget, vel nonnunquam quasi exsiccando eum minuit. Quid, quod ipse hic tumoris ambitus ad durationis ponderisque rationem minor quam ille indurationis diagnosin juvare potest. Adulto vero scirrho accidit inaequalis illa, aspera, gibbera, tuberculosa vel nodosa superficies sat fidum signum ominis sinistri, quod sub uterina labe in portioni vaginali attingere licet. Quo in statu alios corporis locos afficiens scirrhus haud raro sat diu absque notabili molestia perfertur, alios vero, ut ipsum uterum, mechanicis jam injuriis magis minusve laedit, ac praeterea vehementis infestissimique irritamenti adinstar in nerveum systema agit, dolorum vel nonnunquam spasmorum tam hystericorum quam aliorum auctor evadens.

§. 6.

Scirrhi ideoque cancri **origo**, ut ut obscura videlicet, pathologorum ingenia haud parum exercitavit. Galenus [1]) illam ex atrabilaria cacochymia ducendam censet, alii magis localem ex chronica inflammatione admodum passiva petunt, quam venosam vocant, ut Cl. de Siebold, qui illum tamen ad maximum partem ex propria universali dyscrasia derivat, et meram irritationem inflammatoriam a multis causae accusatam merito repudiat, scirrhique tam topicum ortum quam contagiosam naturam plane denegat. Ac revera inficias iri omnino nequit, scirrhosae specificae corruptelae ad cancrosam labem jugiter proclivi apte derivandae, nil minus sufficere, quam solidae inflammationis lentae et localis luxuriei sequelas, quarum in partes multi scriptores abierunt [2]).

Quibus adnumerandum esse quoque Cl. Wenzel, haud mirum videtur, quum pace tantae auctoritatis satis tamen eluceat, discrimen inter indurationem et scirrhum nonnisi temere esse subvertendum. Vix enim cui contigerit, scirrhum, sui generis ac heterogeneam degenerationem, verisimili pacto derivare a sola hypertrophia, in quam ista nutritionis (ex inflammatorio statu) nimiae ope prodiens localis substantiae abundantia actionis inertiae nupta, luce clarius redit. Longe propius veritatem attigisse potius videntur illi viri: Scarpa, Walther, aliique eorum vestigia jam suspicati, quorum sententias sigillatim quidem paululum invicem discedentes absque longo tamen negotio in unam cardinalem, ut

---

[1]) Meth. med. ad Glauc. Lib. II, c. 12. Chart. T. X. p. 389. cf. v. Swieten l. c. §. 485. p. 853.

[2]) Jörg Weiberkrankheiten 457.

ita dicam, redigere licet. Jam Cel. Mende [1]) scirrho sui generis naturam germenque ex universali diathesi morbosa propullulans jure vindicat idque per se deleterium, vitae quidem vi moderatrice a vitali via discedente maturatum. Quam quidem expositionem haud ab omni parte liquidam hypothesibusque eliminatam esse, in propatulo jacet, tamen multis aliis concinnior videtur laudanda. Scarpa scirrhum censet germen exitiosum malignum, in loco afflicto quidem depositum, in universo autem corpore genitum, a vi vitali illuc eliminatum, ac prorsus in loci affecti penetralia quasi reconditum ibique latens ad ulteriorem usque cancrosam corruptelam, quae dyscrasiae universalis officinam condat. En, ab omnibus fere penitiora utique primordia vitioso nisui formativo (sensu latissimo) relinquuntur, quem expresse accusat ill. Walther haud dissentiente El. de Siebold [2]), peculiarem albuminis pravitatem qua illud pigmento sanguinolento orbum evadat [3]).

§. 7.

Scirrhi decursus ad carcinomatosae labis eventum semper semperque tendens, vitam ejus neutiquam esse abolitam, sed perdurare specifico more, vitalem finem offensuro, palam facit. Sanationi ulli, nedum spontaneae, plane impar, exitioso munere pertinaciter fungitur, quo omnia circumsita nullo delectu relinquendo stragi communi implicare studet, irrita omni adversus lentae emollitionis processum reactione. Qua evocata tumor deinceps accrescens sensilitatem edit insolitam: oriuntur dolores pungentes, lancinantes, urentes: durities in tuberosam, nodosam abit, cutis obtegens livescit, cum tumore coalescit, turgent venae et laqueorum adinstar tumorem coronant [3]). Nunc in stadio altero malum versari dicunt et cancrum [4]) occultum (carcinoma) vocant, qui suis pellibus continetur, ut cum Boerhavio [5]) loquamur [6]). His vero ruptis in stadium tertium ruit et cancer apertus s. manifestus, s. ulcerosus inscribitur. Quo enim ingruente omnia pejora fiunt, usque dum attenuata cutis effluente pravi odoris sanie ichorosa, sanguinolenta, fucescente, vel limpida, absque tamen tumoris volumine usquam diminuto, in ulcus pandatur non solum perniciosissimum, sed etiam indolis peculiaris specificae [7])

---

[1]) Mende Weiberkrankheiten, 2ter Theil, p. 243.

[2]) l. c. p. 79.

[3]) l. c. cf. Sundelin apud Berends l. c. et mat. Kkht. T. II. p. 113.

[4]) Cancri nondum exulcerati mammam obsidentis exhibet graphicam descriptionem Aëtius, quam expressis verbis hic reddere liceat: „Cancro itaque non ulcerato in mamma existente, tumor apparet ingens, ad tactum renitens, inaequalis, instar ferae saevus, penitissime, pertinaciter insertus, radices longe lateque extendens, et venis circumsitis, quasi illigatis, quas circumcirca varicosas habet, colore cinericius ad ruborem vergens, et aliquando sublividus, et videntibus quidem mollis apparet, tangentibus autem durissimus est, ut visui hac parte non sit credendum: dolorem autem inducit pungentem, late se extendentem, ut saepe per consensum glandularum malignas inflammationes sub aliis excitet. Pertingunt etiam dolores usque ad claviculam et scapulas.“ (Tetra. bibl. IV. Serm. 4. cap. 43. Chart. Tom. VII. p. 808.) — — „At vero ulceratus cancer assiduo erodit, et ad profundum perfodit, nec sisti potest et saniem emittit omni ferarum veneno deteriorem copia et odore abominabilem.“

[5]) Teste eodem (ibidem) Philoxenus vocavit cancrum occultum, qui in abditis corporis partibus haeret, v. g. in utero aut intestinis; ast jam aptioris nostrae designationis auctor Hippocrctes existit, nam de eodem mammarum morbo locutus (ad quas conclusi uteri menses remittunt) paulo infra addit.“ Et in mammis tubercula dura oriuntur, quaedam quidem majora quaedam vero fiunt, et ex illis cancri occulti nascuntur.“ (De morb. mul. Lib. II. cap. 20. Chart. T. VII. p. 807. 808.)

[6]) Aph. de cogn. et curand. morb. 494.

[7]) Galeno teste (cf v. Swieten l. c. p. 872) nomen derivandum est a similitudine, qua cancrum referat (Meth, med. ad Glauc. Lib. II, cap. 12. Chart. T. X. p. 390) uti enim illud animal utrinque pedes porrigit, sic et venae atro sanguine undique ex carcinomate exeunt; Secundum Paulum Aeginctum (Liü. IV. cap. 26. p. 66) quod carcinoma pertinacissime adhaeret partibus, quas occupat, uti cancer (animal) Chelis suis praedam pre-

labris tumidis, duris, inversis, e rubro lividis, ichorem fundens [1]) acrem corrosivum, foetidum, cadaverosum, flavum, viridem, devorans, quod arripit progrediens in ambitum et in profundum ad partes vicinas, emittendo undique malignaestirpis radices, quibus fortiter tenet partem afflictam, dolores ciens immanes, rodentes, omnem somnum fugantes. Enascuntur inde excrescentiae fungosae, tumescunt vicinae glandulae, nec eae solae, quae lymphae commeatui competunt, oriuntur saepe haemorrhagiae funestae, quas vasa corrosa fundunt: macescit totum corpus, cutis singularem ex fulvo cinereum colorem sibi induit, facies coelialgico proprio vultu misericordiam petit, accidit denique unicum, quod superest, mortis solatium, praecone febre hectica colliquescentiae symptomatibus stipata, qua viribus summopere prostratis atrocissimi cruciatus cum vita ipsa demum extinguuntur [2]).

§. 8.

Hisce de Scirrho et carcinomate in genere praemissis ad uterinam hanc labem in specie liceat transire. Uterinae structurae haud levem inesse propensitatem in scirrhosam metamorphosin, e contextu hujus organi ei haud assimili (v. supra §. 5.) elucet, ac revera immortalis Morgagni [3]) effatum: „scirrhus esse uterum suis cum appendicibus maxime obnoxium, morbo perdifficili, nisi cito cognoscas: insanabili, si in cancrum degeneravit" nostro haud minus aevo ex nimia proh dolor frequentia probatur. Justo autem plus scirrhosi seminii ultro Jörg [4]) largitur, quum mammas eo longe superari contra communem eamque sinceram observationem contendat.

§. 9.

Morbi decursus et Symptomata.

Vix unquam totus uterus ab initio occupatur, saepissime in uteri collo ac orificio prima morbi sedes collocatur, quam rem alii [6]) vix bene [7]) a glandularum hac in parte copia, qua uteri corpus neutiquam caret, alii melius forsan a locali uterini segmenti conditione derivant, qua prae aliis haec organi muliebris pars noxiis extus incidentibus latius apertiusque patet. [8]) Posterius labium altero prius corripi solet. Exstant quidem casus fundi a morbi primordiis, hinc inde totius uteri correpti, sed nonnisi rarissimi. Diuturna mali duratione per totum denique uterum serpere labem, haud ita rarum est, ibique quaestio pertinet de totali uteri exstirpatione, partiali non sufficiente.

Ad levissimam uterinae labis suspicionem diagnosi praeter symptomatum ab aegra indicandorum accuratam contemplationem apprime requiritur diligens et repetita tam externa quam interna exploratio,

---

hensam firmissime tenet unde majoris similitudinis rationem deduxit. Celsus autem (cf. v. Swieten l. c. p. 735) sub cancri nomine gangraenam et sphacelum (de med. Lib. V. cap. 26. p. 31. 34) graphice descripsit, hoc nomine praesertim usus in externis corporis partibus, in reliquis promiscue cum cancri designatione. Carcinoma autem nominat idem malum, quod ab hodiernis medicis cancer, carcinoma dici solet (Lib. V. c. 28.)

[1]) l. c. p. 214.

[2]) Ichor Walthero (ibid) teste „nonunquam deest, talisque ei vocatur, cancer fatiscens Vereiterung, cf. El. de Siebold, qui eandam speciem observavit l. c. p. 85. 86

[3]) Accedere peresis et consumtis „anosmiam et indolentes in aure callos" refert Boerh. (l. c. aph. 499) Hippocratem secutus nimirum, qui (de morb mul. Lib. II, c. 20. Chart. T. VII. p. 808) haec habet: „Ipsaeque toto corpore extenuatae sunt, nares siccae et obductae, neque elevantur, spiritus est imminutus et nihil odorantur: in auribus dolor nullus, sed interdum callus innascitur."

[4]) De sed. et caus. morb. Epp. XXXIX. §. 35.

[5]) l. c. p. 445.

[6]) Ed. de Siebold diff. de scirrho et carcinom. uteri §. 15. p. 15.

[7]) Wenzel, die Krankheiten des Uterus, p. 125.

[8]) Ibid p. 57. Mende l. c. p. 249.

eaque per vaginam non solum sed etiam per intestinum rectum instituenda. Ac nimirum haud pauci sunt casus, qui necsi adeo, quem in Francogallia, magis tamen vulgarem, quam vernaculi moris esse videtur, speculi uterinum usum apud nos quoque desiderant, quo in apertum morbi conspectum perveniamus. [1])

Solemnem tramitem ut sequamur in recensendis morbi symptomatibus, haec secundum supra enarrata tria stadia describere par sit. Quorum posteriora agnoscendo fore faciliora, sponte patet: quo enim apertiorem in ruinam morbus ruit, is ipse eo manifestius prodeat oportet. Sic igitur intelligendum est praeclari scriptoris [2]) effatum ,,haud difficilem diagnosin reddi solito aegrotantium more, quo medicus vix, antequam sat provectus sit morbus, consulitur.

Prima enim ejus periodus tam levi specie dirae cruci futurae praetecta nascentis primordia ludit, ut acuta opus sit medico attentione, ne levitate fallace in errorem inexpiabilem inducatur. Cujus calamitas ut vitetur, primitus jam est monendum, ne causarum, [3]) quae suspicionem firmare valent, in primis praedisponentium, sollers pensitatio negligatur. Quae quidem eo gravioris momenti est stabiliendae diagnosi, quo magis recondita adhuc latent signa pathognomonica, nimis serotino spatio proh dolor eventura. Suspicionem moveat leucorrhoea, quae adest, vulgari benigna gravior et pertinacior: qua semper ad explorationem medicus invitetur. Quod enim ad symptomata attinet ab ipsa aegra, ne socorde quidem, indicanda, ea sat levia sunt ac pauca: nec est tamen, cujus fientis (ut cum Baglivio loquar) sollertior ratio habeatur, morbus. Insignis nimirum est utero indulgentia, qua vel gravioris irritationis injurias absque notabili communis sensorii affectione dolorifica perferre valet. [4]) Initium capiunt symptomata ab insolita, leviori quidem sed continua fere sensilitate, quae pelvis penetralia infestat, ibique dolorem evocat obtusum, varius jam acutum punctorium, qui minus diu persistit: praeprimis vero notanda est molesta viarum muliebrium sensatio, tanquam uterini ponderis index, quod aegrotae inprimis erecto incedentes corpore, minus supinae cubantes in pelvin inferiorem per vaginam descendere, modo assiduo, modo intercepto ac reduce tenore, conqueruntur. Qui quidem descensus varius eam prae se fert jugitatem, ut ad partum labores, sicuti abortu instante locum habent simulet. Manifestior evadit illa sensilitas participe ejus vesica urinaria, quae dysuriam parat consensualem (de scirrhosa jam facta ipsa vesica nondum est sermo), lotio sive rarius plane retento, sive sub sempiterna paene mingendi cupidine dolorifice emittendo, parco, pituitoso. Itidum affectum intestinum rectum primordia vesicae laboranti similia edit: alvum adstrictam, sedibus quidem repetitis, sed excretione parca, dolorifica, dura, rarius copiosiori, laxa; eaque vel frustrata urgere videtur tenesmus vel haemorrhoidalium molestiarum agmen, saepe absque phaenomenis oculo conspicuis; dolor, pruritus etc. aegram vexant, quin sat magni, qui his respodeant, noduli reperiantur. Neque raro unum ibi pruritus intolerabilis ab ano ad genetalia usque serpentis aegramque ad summum excruciantis symptoma urget, quod magni pendet Wenzel. — Veneris consuetudo jam perversa apparet, sive pristino more nunc minus appetita, sive saepius aucta libido exsistit, semper vero coitu dolorifico, praesertim impetus membri virilis ad intima muliebria apprime accusatur. Conceptio vel progresso morbo perstat, ac ipsius graviditatis cum manifesta labe

---

[1]) S. Lair, neue Behandlungsmethode d. Geschwüre, Ulcerationen und Anschwellungen des Uterus übers. Weimar, 1828. 8, p, 91. et inprimis p. 104.

[2]) El. v. Siebold l. c. p. 67.

[3]) Wenzel l. c. p. 109.

[4]) ibid. p. 108.

complicatae haud pauca exempla constant: at in abortum plerumque inevitabilem pronae sunt, quae uterum gestant, quin causa luculenta adsit. Mensium purgatio varium in modum a naturali tenore aberrat, sive comitantibus molestiis insolitis, nec raro admodum dolorificis, sive typi ordine ut plurimum perverso, sive copia excedente, quae vero mutata rarius locum habet, sive haud adeo raro regularem modum menstruatio penitus servat, mitioribus modo doloribus prodromis. Neque non extra mensium absque alio morbi indice, fit, ut insolitum sanguinis profluvium e genitalibus destillet, sive copia, sive frequente reditu, sive consistentia, sive colore, sive dolorifico comitatu vel antecessu, menstrui fluoris suspicionem negans: quin vel ex hoc phaenomeno mali gradum stadiumve queas jure suspicari. Solennius vero commercium alit irregularis factus mensium fluxus cum leucorrhoea per menstrua intervalla manante, nunc plerumque inodora, ceterum varia. Pulsum tacturus vix constans ullum signum, nedum febrem deprehendes. Quod ad coenaesthesin attinet, hysterica symptomata saepius observantur. Exploratione externa vix notabile signum attingere licet: nonnunquam imi abdominis tumorem aliquem, nec omni dolore carentem, internae vero ope uterum paullo descendisse e legitimo loco, ipsius organi degenerationem vix luculenter, nisi duriorum paullulum et ampliorem justa portionem vaginalem attactu haud raro dolorifico notabis. Quibus signis tubercula minora, quae subinde ibi adforent, addere si velis, ea tamen potius ad stadium secundum pertinere monendum est. Vaginam calidam, paullo tumidam, largiore pituita albicante lubricam, digitus permeabit.

Perioda secunda morbi ingruente omnia haec memorata invalescunt, graviores fiunt pudendorum dolores punctorii (qui semper ad punctum fere ex uno loco procifiscuntur) ardorque: apprime jam urget potissimum ossis sacri regionem ponderis sensatio, quo uterus deorsum per vaginam petere videtur. Pudenda praeter legitimum ordinem vel menstruae purgationis sanguinem fundunt. Menses ipsos nimios colica menstrualis s. d. comitatur, doloribus, vel post illos superstitibus. Sanguineum profluvium alternis vicibus excipit leucorrhoea, odorem praviorem pedetentim spargens. Ex dysuria fit vel ischuria, vel incontinentia urinae. Pelvim occupans dolor corporis motu habituque erecto provocatur: nil quiete exoptatius aegrotis. Coitum nunc acerrimorum cruciatuum, quos vel sustentatus relinquit, auctorem, non tamen semper irritum vel nunc graviditas legitimum temporis spatium exsecutura nonnunquam sequitur. [1]) Latius jam in C. H. universam fabricam agere incipit funesti mali diathesis: ipsaeque mammae haud raro indurationes praebent dolorificas, scirrhosas. Totius corporis habitus depravatam speciem refert: faciei color in luridum pallorem languescit: concoctionis viribus dijectis nutritio laesa: adsunt nausea, vomitus saepius redux, sapor perversus, qui quo minus macies incipiens resarciatur prohibent: animus tristis, gravioresque jam hystericae miseriae systema nervosum profligatum demonstrant: cephalea in carebariam, quae praecipue intimam frontalem regionem tenet, exasperata omnem fere cogitationem intercipit. Ex intima pelvi dolores emittuntur Cotunnii ischiadem mentientes, unde alterutrius femoris fere paresi languescunt pedes: claudicantes incedunt aegrae, lateri manum imponunt, Febris nulla vel irregularis vespertina. Exploratione externa abdomen justo tensius tangitur uterusque fundo jam occupato supra symphysin ossium pubis manui impositae se offert. Digitus genitalibus immissus haud leves ibi dolores excitat eaque jam externa magis minusve tumida adit, largiori vaginali muco lubrica, admodum tamen sensilia: ipsam portionem vaginalem durissimam, inaequalem, tactu

---

[1]) v. Siebold, Journ. f. Geburtshülfe u. s. w. T. III. Stück I. p. 50—57. C. G. Stricker, D. de uteri scirrho et carc. c. pravid. compl. Berol. 1820. B. Zeppenfeld, D. sist. cas. singular. carcinomatis uteri c. gravid. compl. ibid. 1828.

aegerrimam, raro tumidam, orificio rimoso, rugoso, dilacerato, eoque illarum, quae uterum nondum gestaverant, clauso. Neque digiti attactu solum sed etiam coitu acerbi dolores excitati utroque vel finito per diutius remanent neque minus citra omnem causam vehementiores tam punctorii quam urentes partem laesam tenent, aegram excruciantes. Nonnunquam utero tumescente ac e pelvis cavitate egresso portio vaginalis digito vix ac ne vix quidem áttingi potest. Nec non supra vaginam reperitur durities, tam integra fere sub uterino scirrho portione vaginali, quam eo jam istuc perveniente ut totus fere uterus degeneratione affligatur. Qui vero per rectum exploratus fundum digito perquam duri et dolentis corporis instar offert, ambituque praeter modum majore: ipsum rectum, angustius interdum, tumet ac tuberculis haemorrhoidalibus obsidetur. Vagina ichorem fundit tenuem, foetidum, coloris plerumque viridis, acrem, quo digitus examinans partesque vicinae haud raro eroduntur. Urgentibus hisce symptomatibus fit quidem hac periodo, ut omnes fere misellae medici opem implorent, ast opportuno jam spatio elapso. Superveniens inflammatio humorum affluxu partem laesam intendit: altius egressa singula tubercula rumpuntur, saniesque deterrima funditur: exeso epithelio ulceris pandendi et ingruentis ultimi stadii indicia. [1]) Singulae vero aegrotae per hanc secundam periodum ea adhuc gaudent corporis integritate, ut vel negotia domestica graviora sustineant.

Tertia morbi periodus crucis vitaeque finem emensura ad summos evehit cruciatus miseram. Praevalent jam continuo fere tenore acerbissimi dolores urentes, perraro ad temporis spatium intermittentes, punctoriis, fugacibus sociati, qui cunctam pelvis regionem perstringunt. Nec unquam, quo intense gravantur, ponderis ibi molestiae remittunt, neque pressio silet, qua tanquam sub uteri prolapsu vagina infestatur. Perpetuus subflavae, e flavo viridis, cinereae aut subfuscae saniei, secretis partibus scirrhosis permixtae, acerrimae, digitum immissum et externa internaque vicinia corrodentis, eaque serius ocius inficientis, teterrimum foetorem spargentis, una cum urina fluxus apprime notat ulcus carcinomatosum. Cujus ichor et haemorrhagiae, quas vasa pedetentim corrosa brevibus intervallis fundunt, invicem se excipiunt: utrisque tantus foetor emanat, quantum haud amplius fere adstantes queunt perferre. Menses sive plane intercipiuntur sive sub dirissimis torminibus fluunt. Neque minus haemorrhoidalia symptomata ingravescunt, nec circa ani orificium solum, sed etiam abdominis ipsius turgent venae. Subinde corruit magis magisque reproductivi systematis fabrica, unde totius corporis habitus cachecticus, tument et indurescunt glandulae inguinales, idem Meibomianis accidit, palpebrae rubent, lippiunt anularum instar; oculorum lux exstincta; corpus emaciatum, exhaustum, facies tristis vultu proprio decomposito, misericordiam petens, fida miseriarum testis, lurida, plumbea, tandem penitus in Hippocraticam abit; oris cavitas aphthis obsessa salivatione colliquativum agmen inducit. Extremam enim nutritionis ruinam paraverant, apertiusque indies nuntiant ciborum appetitus plane depravatus, pressoria ventriculi tormina, cardialgia pertinax, ructus acidi, nausea, vomitus, abdomen flatibus tumefactum, tensum, meteoristice inflatum, alvus obstructa vel involuntariis sedibus aperta, pedum varices et oedema, propria claudicationis species, alterutro crure paralysi fere completa haud raro correpto. Tanta miseriarum serie omnem patientiam feriente succumbit sensorium: eoque laeso animus deficit, desperatus nil parat nisi summam tristitiam et morositatem. Itidem confecto corpore una mortis spes exoptata, quam indubiam afferunt colliquationes extremae, sociata febre hectica manifesta, exacerbatione gravissima vespertina, qua aegrotae cephalea, et ubique fere per corpus doloribus lancinantibus excruciantur.

---

[1]) cf. Jörg l, c.

Accedunt jam spasmi et convulsiones; funestae labis primaria sedes dolorem furibundum, in dies auctum, nulli anodyno cedentem prunae candentis instar furentem ac ichoris effluentis auctam copiam et pravitatem edit in evidentissimum destructionis testimonium partes afflictas fortius fortiusque rapientis, impetuque irreparabili latius ad vicina organa inficienda serpentis. Quae fungorum more saeva luxurie prosiluerant excrescentiae, cum ipso ichore, tanquam eo ablutae, nec raro complures ipsius uteri partes labefactatae solvuntur, et e vagina ejiciuntur: quin quod ipsum uterum excidisse ferunt. Lugubre miseriarum agmen clausura mors atra pulsat: saepius reducibus et solito longe diutius instantibus animi deliquiis, quae ni jam virium summa tabescendo prostratione vel ex irruente haemorrhagia nova inanitione vita exstinguitur, extremam unicae salutis opem ferunt, atrocissimis calamitatibus tandem obicem ponentes desideratum. Exploratio in hoc stadio instituta protinus dirissimos evocat dolores vel jam levissimo attactu, qui sanguinem saniemque elicit. Ipsarum quidem partium morbosarum adeo destructam et corrosam trabem reperies, ut vix, quid digitus reprehendat luculenter discernere queas. Loco enim oris atque colli uteri tantummodo circulum inaequalem, crassum, duritiei admodum renitentis, urgentis doloris fomitem, totam autem uteri partem inferiorem cartilaginosis sulcatisque excrescentiis, praefixis tanquam dentatis sudibus demorsis in utroque labio distracto obsitam tanges, quae semper semperque tum extra quam intra uteri cavitatem increscentes ipsam vaginam effarciunt. Ubi portionem vaginalam distincte adhuc scrutari digito contigit, eam ad brevissimum spatium comesam, spongiosam, interdum mollitei elasticae, plenam excrescentiis fungosis, brassicae botrytidis instar luxuriando esurgentibus, plenam deprehendimus, aperte hiantem: aditus ad intimum uterum digito patet. Mitiori degenerationis gradu locum habente portionem vaginalem illaesam quidem, sed duriorem admodum in aequalem, rugosam, striatam, labiis tumescentibus offendimus. Nec non per intestinum rectum easdem excrescentias et destructiones cognoscere licet, aeque ac, si eo jam labes perreptaverit, totum uterum laborantem, atque vesica urinaria cum vicinis partibus tunc plerumque jam in communem degenerationem vocata, hujus uterique miseram conditionem jam externa exploratione facillime detegere contingit.

§. 10.

Morbi species.

Symptomatum haec praesertim morbo ineunte varia variis in casibus ratio, tam ab iis rebus, quae ad naturae morem consuetum cuivis morbo longam in diversis hominibus singularum proprietatum varietatem conciliant, tam a temporis spatio, quod jam degeneratio exsecuta est, quam denique ab ipsa hujus intima natura et indole est derivanda. Quae quidem cancrosae partium C. H. destructionis sat varia haud unam semper originem ducit, ac e diversis primordiis procedit, quarum ulterior decursus in extremo stadio eam deterrimam destructionem partis laesae totiusque organismi depravationem parat, quam tanquam una stirpe ortam uno cancrosae corruptelae nomine insignire veteres consueverant: donec recentioris aevi medicorum diligentia circa explorandam structuram pathologicam istarum pseudoorganisationum, q. v., sigillatim disponere contigit varia et longe diversa genera, communi utique strage naturalem partium fabricam totiusque systematis valetudinem adeo subvertentia, ut omni artis praesidio superiora nullam ex atrocissima clade salutem relinquant, nisi ultimum naturae die supremo beneficium. Huc spectat varia illa nec nisi pravitate conveniens substantiae organicae luxuries, tam fungorum aemula medullarem speciem, vel vasculari structura luxuriante haematoden praebens, utramque cancri mollis nomine designatam, quam ea duritie praeternaturali insignis, scirrhi, ac longius provecta cancri duri nomen nactura. Neque hisce minus tuberculosa tela uterum infestari,

nuperrimae disquisitiones edocent. Nondum vero, quod ad uterum attinet, practicum in usum redigere contigit illam variarum praeternaturalium telarum lustrationem, quae quidem in recluso hoc organo suis omnino premitur difficultatibus. Neque eae tamen prohibuerunt, quominus cancrosae uteri corruptelae genus nuper ad duas species principales disponendum proponeret El. de Siebold [1]): glandularem s. scirrhosam (Cancrum durum) et haematoden (Cancrum mollem), fungosum, quo aliorum fungus medullaris, tela encephaloidea refertur [2]). Quam dispositionem, necsi omnibus aeque convenientibus acceptam, neutiquam temere [3]) collocavit, sed diligenter potius ad utriusque cancri tum causarum, tum symptomatum naturam redegit. Quare expositio illa brevem in conspectum huc revocanda nimirum operae pretium esse videtur.

Uteri Cancer haematodes (Blutkrebs) modo natus ab hoc scriptore, altera specie benignior habetur, primis enim incunabulis ex uteri conditione vix insanabili captis, quae e justo vegetiori uberiorique venosi sanguinis fabrica ejusque prae arterioso circulo ditione redundat. Quae quidem plethora atque praevalens crasis venosa sequiori sexui suetae, s. d. dispositionem haemorrhoidalem quoque constituentes, hinc istius uterini praebent seminium. Referenda sunt ad hanc diathesin plethora s. d. abdominalis, vel, illa ulterius provecta, ortus habitus atrabilarius, constitutio, temperamentum vitae dispositio e. s. p. quae illam fovent, mensium variae anomaliae cum suis molestiis jam pubertatis aetate notabiles, antequam localia signa ad anum, varices e. s. p. apparuerint. Hinc inde fit, ut ex uberiori venosi sanguinis commeatu ac circulo segniori gravidus uterus plenioribus et distentis venis refertus substantiae inspissationem gerat, portionemque vaginalem insolito tumidam: ac praesertim sub legitimam graviditatis finem ambitum suscjpiat insignem. Universa hac constitutionis indole systemati sexuali uteroque praeprimis quaedam a naturali functionum pacto varium in modum aberratio conciliatur, quae menstruationis et graviditatis tenorem non solum, sed etiam puerperium idque singulariter afficit. Progrediente hac diathesi pedetentim ampliorem locum nacta uterinae substantiae ubertas ponderis cujusdam pelvim tenentis sensationem aegrotis excitat, simul orificii uteri labia tumida torulosa magis magisque fiunt, extusque reflectuntur: futurum morbum jam auspicantia. Neque raro simul alia abdominis organa, praesertim hepar vel nonnunquam lien aeque infarciuntur, et physconiae graviorem levioremve speciem prae se ferunt. Ingruens structurae uterinae corruptela prima collum corripit vel ibi primo eam deprehendere licet. Oriuntur parvulae excrescentiae semper semperque arctius annexurae, fere membranaceae, mucoso latice refertae, polypis mucosis fientibus haud inique comparandae, iis modo amplius repletae inde fortius ad tactum renitentes, minus rotundae, dentatae. Quae numero ac magnitudine in dies adauctis, haud raro totam vaginam replent, haemorrhagias provocant, vel turbato cuncto digestionis nutritionisque negotio plerumque febricitatione stipantur, haud absque virium ac voluminis decremento: urget leucorrhoea continua: menstruationis tenor plane irregularis factus legitimum longe excedit vel in haemorrhagias abit, brevi reduces, exhaurientes, lenimen quidem sed breve localium molestiarum largientes. Uterus toto ambitu ampliato latius patet per pelvis cavum, idque vel egressus nonnunquam ambitum ludens gravidi per quadrimestre spatium, supra symphysin attactui se

[1]) l. c. p. 56.

[2]) Sundelin l. c. Thl. VII. p. 386.

[3]) Aptiusque profecto quam Patrix, qui cancrum excrescentiae luxurie emergentem (Krebs durch Emporwuchern), cancrum ex atrophia, cancrum per exesionem (durch Ausnagen) discerni vult (über den Gebärmutterkrebs und die Krankheiten der zu dem Uterus führenden Theile. A. d. Franz. Leipz. 1821. cf. Carus Gynäkol. 1r Thl. Leipzig 1828. p. 337.)

praebet. Molestiarum consensualium varium agmen supra, de scirrho fiente locutus, jam exhibui: notanda superest huic morbi speciei manifesta antiphlogistici regiminis salubritas, quare sanguinea stillicidia vel natura vel arte provocata insigne levamen ferunt, diutinique intervalli moram nonnisi aegre sustinent. Excrescentiae ipsae sanguinem muco refertum copiosum continentes, artis opificio palliativae indicationis causa exstirpatae saepe quidem vix nisi destructam involucri tunicam relinquunt, neque edunt subinde nisi nonnihil sanguinis mucosi; haud raro tamen sive illico, sive sponte ruptae haemorrhagias gravissimas fundunt, quae vitae discrimen inferunt. Quae excrescentiae et tubercula quamdiu integrae ulcerisque expertes remanserint artis auxilium nondum plane respuunt. Ex quo vero ulcus natum est, id statim indolem carcinomatosam induit rebellem, universalem statum acerba labe inficiens. Istae vero sub ipso ulcere excrescentiae aliae collapsae, aliae eo uberius luxuriatae portioni vaginali eam denique formam impertiuntur, quam brassicae botrytidis inflorescentiae comparant. Exardet nunc saevus cruciatuum furor, quo dies noctesque torquentur, nec nisi lento pede conficiuntur miserrimae. Neque viciniis minus destructionis consortis vel inundante sanie acerrima correptis: vagina, vesica urinaria intestinum rectum ulceribus postremo depasta et comesa faeces lotiumque una cum saniei fluore edunt haud absque fallace spei specie, qua reduces excretionum antea retentarum vices haud raro ludunt aegrotas, quamvis suetum negotium per aeque corrosam posteriorem ac anteriorem vaginae parietem exsequantur, nec nisi desperata fata extrema sint executurae. Pristini enim fomitis labes reliqua abdominis viscera, haud amplius integra, in funestam societatem arripit: praeprimis hepar corripitur, neque intestinis parcit sanies corrosiva, qua depascuntur, exeduntur vel inflammantur, ad ipsam usque gangraenam. Accidit decubitus, ulcera mox passurus vasta, depascentia.

Altera vero cancri uterini species, genuino scirrho exorta ex scrophulosa dyscrasia propullulare videtur, quae cunctum glandulare ac digestionis systema afficit, infarcit ac corrumpit, scirrhoque opportunitatem iis substernit, quin tamen hunc adeo jugiter inde derivare liceat, ut scrophulosa glandulae induratio in verum scirrhum abiisse merito putetur: [1]) cujus utriusque degenerationis toto coelo inter se diversae discrimen supra jam exhibuimus. De respiciendo huc nimirum sat notabili commercio, quod systema sexuale cum scirrhi seminio alit, infra sub aetiologia fusius sermo erit. Ceterum veri scirrhi uterini cancrique inde exoriundi decursum supra jam descripsi, nec intererat, nisi expresse ac distincte haematoden s. d. Sieboldii cancrum uteri prae altera specie sigillatim huc illustrare.

§. 11.
Diagnosis.

Praeter dispescendam utramque hanc cancri uteri speciem, ne universus hic morbus falso pro simili quidem, ast plane alio habeatur, monendum est. Inter morbos huc referendos, quorum alia aliave symptomata scirrhi suspicionem moventia talem errorem inducunt, primum locum tenet uteri intumescentia (infarctus, physconia) et induratio per se insons, specificae veri scirrhi structurae expers. Neque quidem pro re nata ubique promta certaque diagnosis suis difficultatibus et ambagibus caret: quibus ne expediatur vel expertum medicum vetant graviora symptomata, tam exaltata universali sensibilitate, quam varia complicatione, provocanda. Ne enim de graviori hysteria, frequente morbi comite loquar, mentionem modo injicio chronicae inflammationis, quae praesertim ulterius jam vitiato utero ad ejus vicinia deuteropathico more et praeprimis ad proximam peritonaei partem transit posteriorem

---

[1]) El. v. Siebold l. c. p. 70.

uteri parietem investientem, et, hinc vario itinere proserpens vel ibi subsidens, varias molestias easque graves ciet, inprimis consensuales e. g. acerbos pudendorum dolores, pravam leucorrhoeam, vomitum chronicum pertinacem, inde scirrhi quidem suspicione urget, artis tamen dextro praesidio ac saepe supra quod expectaveris sanationis beneficium admittit. Primis quidem omnino digitis rei natura non facile est attingenda, diuque anceps pergat medicus sedulo observando caute symptomatum congeriem circumspicere eaque singula expendere, ut certo judicio persuasum sibi habeat, cum funesto scirrho rem sibi non esse insuperabilem. Etenim respectus nimirum habendus est praeter constitutionem, aetatem, vitae dispositionem aliasque ejusmodi res anamnesticas, menstruationi cui plerumque suppressae ansam debet hoc uteri vitium, reduci vero levamen insigne promptumque vel ipsius sanationis via aperiunda haud negat: orificium uteri tumidum, duriusculum, imo inaequale ac paulo sensile attingitur, quae vero omnia redeunte fluxu menstruo regulari vel superveniente graviditate cedunt. Uteri calculosa induratio (exempla collegit Wendelstädt) ad lithiasin potius pertinet. Steatomata, nisi fungo medullare insito referta mediocremve ambitum excedentia, potius mechanicis molis injuriis, quam specifica labe universam valetudinem laedunt, neque adeo raro, quam scirrhus, superiorem uteri partem tenent, praeterea ubi attactui patent, duritiem potius lardum frigidum referentem ac digito renitentem, quam scirrhi singularem eburneam, gibberam offerunt. Ceteroquin saepius negotium sat difficile praebet haec diagnosis.

Polypi uteri funestae degenerationi ansam fomitemqae haud raro praebituri, nec minus fraudulenta ejus specie vel experientissimos medicos obstetricantes eosque senes prudentissimos ludunt, cum jamdudum locum tenentes, neglectique imprudentive medicina tentati pessimum habitum nanciscantur ac circum circa subspargant: quare neutiquam ad Meissneri [1]) partes accesserim, qui differentiam inter uteri polypum scirrhumque exponendam vix ac ne vix quidem operae pretium censet. Utrique nimirum communis est sanguinis nec non exsanguis humoris acris foetidique irregularis effluxus. Distinguendum autem utrumque adjuvantes dicuntur scirrho proprie vindicandi: pruritus intolerabilis, ardor in partibus affectis, punctorii dolores ad vesperam exacerbantes, ab osse sacro vertebrisque lumbalibus antrorsum in pelvis cavitatem et ad lumbos usque tendentes, praeterea ac primo utique loco portionis vaginalis conditio. Quae enim scirrhosa ad morchellae esculentae similitudinem (ut cum Haukio loquar [2]) in aequalitate alienata, ita ut labia et orificium vix subtiliter distinguas, utero autem polypum gerente extensior est, et quidem in normali tenuiorem rarefacta, labiis quidem aeque vix exploratione dignoscendis, sed stigmatum, nodorum et rupturae expertibus, haud morbose obsitis. Praeterea lata, qua carent polypi, basis doloresque ad tactum diagnosin juvant, si de excrescentiis carcinomatosis destructionem circumcirca propagaturis rogitaveris. Inversio uteri, abscessus lumbales, colica ischiadica, haemorrhagiae suspectae et qui sunt alii morbi, qui lusoriam atrocis labis speciem sibi induunt, praetereundi sunt: quum suis signis satis, ac contra digito prudenter explorante refelli queant. Neque tanti negotii est ad hunc respectum graviditas, nisi cum scirrho complicata, sua omnino difficultate tam ad praesentem curam tam ad partum futurum, praegnans.

§. 12.

Aetiologia.

Quae supra jam attulimus de scirrho neutiquam pro mero chronicae infiammationis producto ha-

[1]) Ueber d. Polypen in den verschied. Höhlen d. menschlichen Körpers. Lpz. 1820. 8. p. 51. cf. Carus l. c. §. 446. p. 341.

[2]) Rust, Magazin. Bd. II. p. 275. §. 9.

bendo, sed de agnoscendis potius tenebris, quibus obscura nimirum ejus causa proxima obvelatur vel futuro aevo vix unquam in lucem proferenda, ea ad uteri scirrhum videlicet haud minus valent. Quae cum ita se habeant, praestat succincte recensere singulas causas, earumque primo loco praedisponentes, omnino vix nisi temere negandas. Quae cum praedispositio constitutione ac vitae dispositione haud parum foveatur, neutiquam tamen inde aliquid momenti redundat, quo opinioni de haereditaria cancri uteri natura favere jubeatur. Quodsi enim vel a promatertera ad matrem ac fida vice ad filiam pervenire nonnunquam videtur morbi hujus teterrima hereditas, haec non stirpis culpa, sed tanquam patrimonio omnium rerum externarum, ducenda est, quae haud curatius quam a parentibus vitatae suo jure ac de integro ejusdem labis parant opportunitatem. Neque parum haec promovetur vulgari nostro aevo scrophulosi, praesertim si pubertate haud integra vel perverse temperata eam non penitus superare contigit; qua dyscrasia altioribus deiu radicibus latente sexui sequiori eo facilius accidit ut venosa sanguinis crasis principatum arripiat, atrabilarium morbum provectiori aetati paratura, haud ita probabilem quidem scirrhi genitorem, quam potius carcinomatis ex eo proventuri adjutorem. Sexui praeterea proprium esse cum scirrho commercium, quo iste organa ad illum pertinentia prae aliis atque vix ante illius evolutionem de more attingit, aeque vix negari ac apprime explicari potest; nisi idem istud remotius quidem, sed simile cum scrophulosi commercium, eaque, quae de causis excitantibus afferenda sunt, tibi sufficiant, nesci praeterea ad vim formativam huic systemati insitam eamque luxuriantem recurrere malis. Nec non patet exinde quo pacto sub hujus morbi tam ortu quam decursu menstruae purgationis tenor tantas partes agat quantae videlicet ei haud sunt abrogandae. Neque minus hinc perspicienda est vix unquam localis scirrhi uteri natura, cultri ope haudquaquam tuto omine eradicandi. Ac bene quidem respondent singula momenta alendae ad uterinum scirrhum praedispositionis non immerito accusata: quae antequam enumeremus, syphilidis mentionem injicere liceat cui multum ac justo plus haud pauci scriptores hoc loco tribuere solent, qui prae reliquis dyscrasiis ex ea scirrhi fontem derivant, quid, quod omnem fere ad hanc unam volunt redigere. Quae vero potius constitutionem ad scirrhi fomitem ibi collocandum depravant, haec sunt: affectus tam corporis quam animi debilitantes: timor, moeror, sollicitudo, vita sedentaria, alimentorum et atmosphaerae domicilio et munere humilibus gravitas insalubris, amor infelix, veneris puberibus praeter naturae desiderium usus denegatus vel perversus, vel rudis abusus praesertim tempore non opportuno, vita nimis lenta vel dissoluta. Ad localia pertinent plura uteri vitia, non dextra manu tentata vel imprudenter vexata, ut situs perversi, polypi etc.[1])

Causis occasionalibus omnes illae injuriae adnumerandae sunt, quae undecunque utero aut quovis aut suo tempore inopportuno illatae, ejus habitum, functionem et fabricam infestant. Inter quas mechanicae haud ultimum locum tenent. Rude artis opificium praesertim sub partu vim inferens, tam manu imprudenter gesta, quam inhabili instrumentorum usu, vel his ipsis pravis administratum. Exploratio rudis, pessaria male conformata, materia nociva circumdata sive imperita manu applicata, hinc inde uteri ostii contusio aliave gravior laesio, violenta solutio ovuli vel placentae inprimis praeviae, neglecta uteri repositio, vis externa: ictu, lapsu, pressione violenta (strophiis) abdominis allata, incauta stypticorum injectio ad leucorrhoeam vel haemorrhagiam cohibendam: nesci indulgens materna natura illico, sed lenta poena ulciscitur tales injurias. Huc etiam pertinet foeda masturbatio, inprimis violenta manu, vel rudi instrumento exercitata, coitus praecox, frequens, utero profundius in vaginam descendente, vel membro virili normalem magnitudinem excedente, ita ut partem uteri inferiorem nimis irritet. Neque nihil

[1]) El. v. Siebold, p. 21. Not. 1.

attribuendum est physicis noxiis, ex quibus nominari meretur praeter imprudentem abdominis et inprimis genitalium refrigerationem, saepissime fomentationum injectionumque frigidarum abusu excitata, pedum refrigerium, praesertim menstruationis tempore; neque negligenda aëris atmosphaerici potentia, qui aditu ad genitalia propter frequentiores partus eosque difficiles patente ipsum uterum attingit. Ad dynamicas causas jam plures ex allatis pertinent respectu organicae reactionis, incitato magis minusve systemate nervoso et sanguifero, eodemque praeterea ac primo fere loco infesta quaevis turbatio uterinae secretionis, tam sanguineae, quam alius generis, quae peculiaris formativi processus comes contingit, sive ad menstruationem sive lochialis ad puerperium, sive morbosa ad leucorrhoeam attineant: nec non huc referendus est coitus, rudi marito largiendus eo tempore. quo intactum otium sexui poscit natura ad solennia sua et salubria negotia, quae temere neglecta, vel interpellata inulta vix perferuntur: inde quoque lactationis officium a matre praeter naturam denegatum sua detrimenta sequi solent, ipsique utero non semper parcentia. Postremo recensenda sunt ea incitamenta morbosa, quae ex dyscrasiis, ut e lue, arthritide, scrophuloso malo, aliisque morbis contingunt, suo quidem jure pendenda. Quae singula nimirum flocci neutiquam habenda, eo facilius morbo provocando sufficiunt, quo saepius junctim invicem contingunt, itemque sunt contemplanda.

§. 13.

Prognosis.

Atroci et insanabili morbo prognosin non esse nisi tristissimam, quis non videt? Ac revera idem, cujus intima natura et origo in suspensis haerent, nihil certioris habet sorte lugubri inevatibili, qua flagrantissimis doloribus dirisque cruciatibus vexatae solatium non superest, praeter mortis spem beneficam. Ineunte quidem morbo haud adeo irritum contigerit artis praesidium, ast cum de pudico more ac longaeva consuetudine perraro ante longe provectam jam labem medicum aggrediantur misellae, saepius ne lenimine quidem iis satisfieri potest. In primo stadio melior est prognosis, quae optima quaeque nimirum praeter mali remoram, quae si fieri potest, vix spem conciliare valet neque eam certo ore. In scirrho, qualem ex syphilide ortum dicunt, mercurialium usus rite institutus salutis spem haud levem proponeret. Scirrhum abortus auctorem ut plurimum, non nunquam tamen cum graviditate complicatum, eaque legitimum terminum emensura partum evadere difficillimum prohibita rarefactione et dilatatione ostii uteri, jam proposuimus. Notando vero dignum videtur, quod medici observarunt, remittere quidem scirrhum in graviditate, sed crescere eo celerius edito partu, phthiseos nimirum adinstar. Ceterum sponte patet facilioris negotii esse curationem aegrotae, cui dolores furentes ac haemorrhagiae discriminis plenae adhuc pepercerunt, quam ei jam exhaustae cancroso veneno undique infectae, digestionis fabrica prostrata, reliquis corporibus negotiis ultro a norma discedentibus, mammis aliisque glandulis infestatis, spei fere hilum negantibus. Eam luce clarius ad nullam redire, quando tubus, ovaria, uteri ligamenta, vesicam urinariam et intestinum rectum correpta esse compertum nobis habeamus, vix est, quod moneatur. Apertum vero carcinoma, diutina jam ac manifesta febris hectica cum colliquationibus vix sistendis, dirissimi dolores, foetor teterrimus effluentis saniei ac sanguinis corrupti, cujus profluvia ultra quod cohibeas perdurant, vires fractae, deliria, convulsiones, urina cum ichore e vagina vel ex ano reddita, pessimi ominis signa constituunt mortemque e propinquo praesagiunt.

§. 14.

Curatio.

Longe variam medicinam eamque fere universam in auxilium vocatam esse a medicis adversus

morbum atrocem, quid mirum? Vix tamen est de quo lubentius recentissimi medici cum antiquissimis ac isti diversissimarum scholarum convenerint, quam quod omnem medendi methodum irritam eludat pessima labes. Viget adhuc, ac diu quidem, ni in aeternum vigebit Celsi effatum: „neque ulla unquam medicina profuit.“ [1]) Quodsi igitur de radicali quam dicunt curatione sermo esse vix potest, causalis indicatio exsequenda non est, nisi ea, quae potentias nocivas, quibus singulo in casu ali morbum et exasperari persuasum tibi habeas, removeri, quantum fieri possit, jubet. Quae quidem potissimum referenda sunt ad mechanicas injurias, utero undecunque illatas, vel ad non mechanicas, quibus superiorem artis opem ferre potest medicus e. g. eradicanda syphilitica morbi natura. Huc quoque pertinet mercurii administratio a Frankio [2]) commendata, nec non ab aliis multis ipsoque El. de Siebold [3]) laudata, qui sincera quidem mente irritam cunctam materiam medicam profitetur. [4]) Neque quoad causa proxima nos latet ac remotarum causarum vim jam exsertam infringere non licet, alia causalis indicatio proficua superest. Quod ad eam attinet, quam indicationem morbi vocant, summis medici votis competit remorae consilium, quo, quamdiu licet, extrahatur pristinum scirrhi stadium et retardetur cancrosa corruptela. Hinc optime respondet prudens methodi antiphlogisticae localis usus. Ubi vero saevi cancri furor ipse exarsit, spes abjicienda modo curam palliativam relinquit, quae quam maximo vitae discrimine urgent, compescere etudens.

In primo igitur stadio congestiones pelvin et muliebria versus tendentes statumque inflammatorium inde excitatum, sive protopathicum, sive deuteropathicum (ex reactione in heterogeneum parasitum) respicere confert: Rarius quidem mascula et acuta methodus antiphlogistica requiritur, quae venaesectionibus, nitro et hisce aliis utatur, sed respicienda simul obvia diathesi haemorrhoidali, hirudines saepius repetendae (a Francogallis speculi ope ipsi portioni vaginali appositae) emulsiones cum mediis salibus et frigidis (quamdiu sufficient) narcoticis, lenia cathartica, manna, tamarindi, cremor tartari etc. clysmata mucilaginosa, injectiones in vaginam et inunctiones demulcentes, sopientes (ex hyosc, cicuta, capitibus papaveris) balnea tepida, et quae sunt ejusmodi alia, ad morbi indolem et aegrotae constitutionem eligenda. Neque negligenda sunt alia, quae urgent symptomata, suis remediis lenienda, neque ultimum locum hysterica tenent. Primum autem fere meretur diaeta, eaque sit cautissima, tenuis, aquosa, magis vegetabilis: excretionibus legitimis justa habeatur attentio, prae omnibus vero summa corporis animique quies, et abstinentia, praesertim a coitu, jubentur. Neque immeritam laudem tulit derivativa methodus: foeticuli in respondente ipsius abdominis loco collocandi. Longe autem pleraeque ultro progressum jam scirrhum arti demum offerunt et minacem e propinquo in carcinoma transitum, quem ne nimium agendo [5]) promoveat, sedulo medicus caveat. Multa exstant a multis hic commendata medicamenta vel ad internum usum, quorum vero omnium recensere longam farraginem taedio foret, quare celebratissima enumeranda sufficiat: rad. sassaparillae, cicuta, conium maculatum, calendula, belladonna, [6]) aqua laurocerasi, Sabina, aqua calcis, magnesia, calx antimonii,

---

[1]) de med. Lib. V., cap. 28, 2.

[2]) Graefe und Walther Journ. Bd. III. Heft 4. p. 679.

[3]) Ed. de Siebold diss. l. p. 24. §. 27. Not. 5.

[4]) l. c. p. 121. multisque al. loc.

[5]) Hipp. aph. VI. 38.

[6]) insignes laudatores nacta El. v. Siebold et Beyer (Horn Archiv 1820 Heft I. p. 137. cujus formula haec est: ℞. extr. bellad. ʒj f. l. a. c. pulv. hb. bellad. q. s. pil. p. gr. β, consp. pulv. hb. bellad. S. Omni trichorio pilula una sumenda: Simul applicari jubet injectionem decocti bellad. c. lacte.)

auri, limatura martis cum sale tartari, ferrum carbonicum, hydrargyrum, et arsenicum, quae tria metalla efficacissima, nimirum plurimam laudem omnino tulerunt, neque immerito. Neque non externum in usum pleraque eorum vocata sunt solutionis injiciendae ope: sed saepissime applicata rarissime non sunt frustrata. Omitti nolim carbonem animalem, quem nuper doct. Weise, medicus Saxo, tanquam summum ac specificum remedium anticancrosum commendavit; laudata potissimum saluberrima ejus virtute adversus uteri Carcinoma. Necsi per breve temporis spatium, ex quo publici juris factum est hoc remedium, convenerunt jam de eo medicorum experimenta et judicia; profecto tamen constat, manifesto quidem cancro medelam revera inde vix afferri, sed nihilo minus illud neque plane irritum neque non omni attentione dignum esse. Levamen enim haud leve vel provecto, ac ineunti morbo remoram insignem inde contingere, haud est, quod quis, sedulo hoc medicamento usus, negaverit. Rupto denique carcinomate in apertum, res est cum miseriis desperatis: urget febris hectica, cui obicem ponere impari artis conatu frustra studemus: summa corporis organa in acerbam stragem arrepta ipsa constitutio depravata, ut binis dicam: totius corporis fabrica infecta est. Per temporis pauxillum paulis per sublevetur miserrima, leniantur saevissima symptomata; at proximam avertere mortem nostrum non est. Officio modo dicto ut satisfiat, foedus e vagina effluxus minuendus, ulcus ipsum purgandum ac vicinis partibus, ne corrodantur, cavendum est. Hinc competunt de die pluries repetendae injectiones e cicuta, daucorum succo expresso, nucum juglandum sive cort. salicis decocto, aqua calcis, acido pyrolignoso, solutione ferri, Dct. Chinae cum tct. opii, acid. sal. diluto: Neque negligendae sunt mucilaginosae, quae purgando, abstergendo, demulcendo suum fructum exhibent; prostrata nutritio fulciatur quatenus in nobis est, tam diaeta, quam medicina restaurante, roborante. Tria praeterea superveniunt symptomata, quae maxime urgent, omnemque nostram diligentiam sibi requirunt: dolorum ardor flagrantissimus, vomitus chronicus cardialgicus omnia respuens, et funestae haemorhagiae. Sopiendo dolori opium sacram anchoram refert ac unicum fere agrypniae solatium. Sive in substantia sive laudanum porrigatur, a minoribus dosibus initium capiatur, neque nimis tamen refractis, haud enim est e longinquo, quod augenda dosi supersederi nequit, ac quantam denique adsueta remedio natura perferre valeat absque narcosi, dictu est fere incredibile. Alvo ex opio clausae ut consulatur, interponendum est ol. ricini. Neque spernendae prorsus sunt aqua laurocerasi, vel amygdalarum amararum concentrata sive per se, fortioribus utique dosibus propinandae, sive opio nuptae, sive extr. cicutae ibi soluto. Exardente vero vehementi inflammatione, febri invalescente, ardore partium afflictarum, ad frigidam medicinam ab opio, vel ad ipsum nitrum est redeundum. Vomitus, rato suo more singulari, pulvere aërophoro, hyoscyamo, opio, belladonna, quoque hic a Sieboldio [1]) laudata, tinct. cinam., bismuthi magisterio compescatur. Metrorrhagias, quibus vita haud raro in praeceps ruit, cohibere studeas, ut simul febri hecticae respondeas China et elix. acid. Hall., praeter quietem et situm supinum, ipecacuanhae refractis dosibus: irruentem vehementiorem Elix. acid. Hall., Tinct. opii et cinnam., immissis aluminis solutione cum dct. chinae, acid. mineral. dilut., spongiis pulvere styptico conspersis e. s. p.

§. 15.
Tentata a chirurgis medela.

Ne Celsiani effati „remedium anceps melius quam nullum" oblitus videar, de chirurgica ope tentata non plane taceam, sed brevissime tantum loquar, neque haec enim quid juvavit (nisi prolapso utero e vagina propendente) praeter mortis acceleratae suspicionem. Partialem exstirpationem, non novam nimirum, laudatores quidem Gallos inprimis (Dupuytren, Lisfranc) novissime nactam, omitto, frustraneum reducis mali obicem, eamque idem jam Celsus refellit: „Carcinomata, inquit, irritationibus irritantur, et quo major vis adhibita est, eo magis quidam scapello exciderunt, sed adusta protinus concitata sunt et increverunt donec occiderent; excisa etiam post inductam cicatricem, tamen reverterunt, et causam mortis attulerunt." Memini hinc inde cauterii potentialis a Gallis [2]) potissimum in usum vocati, cujus salubri eventu isti gloriantur, adversariis nimirum iisque sinceris nostratibus Siebold, Wenzel, Zang, Jörg. Quod ad totalem vero exstirpationem pertinet, anceps ejus dignitas quaestionibus gravissimis nondum est eliminata, quas certamini quidem litterario objecit proposito pretio academia Viennensis Josephina. [3]) Nondum miserrimis feminis faustioris sortis lux inde affulsit. Uterum sponte prolapsum amputatum esse superstite muliere, pristini jam casus fortuiti docent, nullus vero hucusque, eo locum suum naturalem tenente: sive artificiali prolapsu moliendo ad Wenzelii aliorumque propositam methodum, sive e vagina ad Sauteri, sive per Laparotomiam ad Langenbekii, sive aliter fiat operatio. Cujus vero historiam methodosque, pluribus jam in compendiis [4]) collectas et recensitas, denuo fusius ac incassum conscribendas vetant temporis spatiique augustiae.

---

[1]) Ed. v. Siebold p. 23. §. 23. Not. 1.
[2]) Chel. l. c. II. 657.
[3]) Wenzel l. c. XXV. p. 136.
[4]) Chel. l. c. Schreger II. 251, cf. Ed. v. Siebold diss. §. 32.

VITAE CURRICULUM.

Ego Casimirus Coblenz, Duitii prope Coloniam Agrippinam die XV. m. Junii A. MDCCCVI., patre Anton. Coblenz, matre e gente Hartmann, utroque superstite et pie colendo, natus atque confessioni catholicae addictus sum. Primis, quibus puerilis aetas solet imbui, litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Carmelitanum, quod Coloniae floret, adii, unde post decem annos dimissus, almam litterarum Universitatem Rhenan. Friedericam Guilelmam petii, ibiqne maturitatis testimonium nactus a Cl. Noeggerath t. t. Rectore Magnifico, civium academicorum et a Cl. Nasse t. t. Decano maxime spectabili med. studiosorum numero adscriptus per sex semestria tam philosophorum quam medicorum ordinis professorum Ill. praelectiones frequentavi hasce:

Logicen, introductionem in studium philosophiae et Psychologiam Cl. van Kalker, Physicen experimentalem Cl. a Münchow, Botanicen generalem Cl. Nees ab Esenbeck sen., Zoologiam et Zootomiam Cl. Goldfufs, Chemiam experimentalem Cl. Gustav. Bischof, Mineralogiam Cl. Noeggerath me docuerunt.

De Osteologia, Syndesmologia et Anatomia generali Cl. Weber, de Anatomia speciali, Anatomia comparata cerebri, Anatomia et Physiologia foetus, Physiologia experimentis illustrata Cl. Mayer, (utroque Cl. duce usus ad dissecanda cadavera,) de Pathologia generali ac speciali, diaetetica, morborum syphiliticorum Pathologia atque Therapia, de materia medica, arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi Cl. Bischof; de Theoria medicinae practicae et de morbis infantum Cl. Naumann; de Therapia generali et speciali morborum chronicorum et acutorum, nec non de morbis psychicis et de Toxicologia Cl. Nasse; de Pathologia et Therapia morborum chirurgicorum, de oculorum morbis rite cognoscendis et curandis, de operationibus chirurgicis, nec non de instrumentis ad illas perficiendas idoneis, de ossibus luxatis fractisque atque de arte fascias rite applicandi Cl. a Walther, audivi disserentes. Artem obstetriciam, usum instrumentorum obstetriciorum me docuit Cl. Kilian. Denique in exercitationibus clinicis et policlinicis medicis Cl. Nasse, in chirurgicis et ophthalmiatricis Cl. a Walther mihi erant moderatores.

Ante annum vero Berolinum profectus a Viro Ill. Hegel, h. a. Rectore magnif. inter cives academicos et ab Ill. Wagner, medicorum gratiosi ordinis Decano maxime spectabili inter med. studiosos receptus, scholis interfui hisce: in exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels et Wolff, chirurgicis Ill. Rust, obstetriciis iisque ad simulacrum instituendis Ill. Busch, denique in istis ad dissecanda cadavera Ill. Knape et Ill. Rudolphi duces mihi exstiterunt.

Omnibus his praeceptoribus optime de me meritis maximas debeo gratias, easque palam et sincera mente profiteor.

Tentaminibus vero coram philosophorum, dein medicorum ordine nec non examine rigoroso rite superatis, spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteriis irritabilitas non concedenda est.

II.

Sive omne sive nullum remedium est specificum.

III.

Tracheotomia in angina membranacea, operatio valde ambigua, rejicienda.

IV.

Bilis secretionem systema venae portarum directo, arteria hepatica indirecto modo promovet.

V.

Exstirpationem uteri nisi in inversione rejicio.

VI.

Causa febris nervosae in tractu intestinali non latet.

VII.

Tussis convulsiva spasticae non inflammatoriae originis est.